Kiełeński Martini: Rosa punicea in vere decerpta.

ROSA PVNICEA IN VERE DECERPTA

SEV

ODOR VITÆ DIVI ADALBERTI

DE DOMO ROSARVM COMITVM à LVBLICZ, ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS.

In Oratorio Pietatis Academicæ,

PER

M. MARTINVM KIELENSKI, Philosophiæ Doctorem & Professorem.

Primo Vere effusus.

ANNO DOMINI, M. DC. L. Die Septima Kalendis Maij.

GRACOVIÆ,

Typis Martini Filipowski, Anno Domini, Millesimo, Sexcentesimo, Quinquagesimo.

CASTIS CINGO CRINES ROSIS

FLORET ODORATIS.



TERRA POLONA ROSIS

Proycit ex alto, virgo ſpectabilis ore,
In niueas placidè, lumen vtrumq; ROSAS.
Dum ſacra vernat, ADALBERTI ROSA Præſulis horto,
Tres ROZRAZOVIO, flore legitq; ROSAS.
Virtutum, pietatis ager; ſi fragrat amænus.
Munificumq; genus ſi viret, Hybla domus.
Gloria virgo decens, fragrante ſuperbiet horto,
Fama quod in primo, plantat odore ROSAS.

Fr: Tiburtius Kielenſki Profeſſ. & Cuſtos M. Claræ Tumbæ S. Ord: Ciſt:

Stirps ROZRAZOVIO, generoſa vireſcit in horto,
Simplice fert ternas, germine namq; ROSAS.
Suaue ROSIS nectet, mox priſtina gloria ſertum,
Circumeat placidè vt, tempora frontis odor,
Flos pietatis, Honoris, Amoris, creſcet in æuum,
Magnanimi hunc quoniam, Nominis humor alit.
Nobilium vernabit aprico Flore ROSARVM,
Sol vt amænabit, ſtirpis odore ROSAS.

Fr: Bartholomæus Legenza Slupenſ. Profeſſ. & Cantor M. C. T.

ILLVSTRISSIMO ET MAGNIFICO
DOMINO,

D. IACOBO HIERONYMO

COMITI IN ROZRAZEW

ROZRAZEWSKI

Castellano Calisiensi, Coninensi, Colensique &c. &c.

CAPITANEO.

Domino meo Clementissimo.

REfloreſcentis Veris primitias, non aliunde licuit auſpicari, quàm à Principe Florum ROSA, in donum magnis nata Heroibus, Tibi natiua Comes Illuſtriſsime. Diuinum hoc munus, nec minus Regium ita noris; & cælo forſan miſſum, atque ſic terræ vſurpatum, ſapientiſsimus vatum meminit Anacreontes:

Si floribus vellet
Iupiter imponere Regnum,
Excellit ROSA flores.
Est Veri ROSA curæ.
Et gratæ ſunt Superis ROSÆ.

Accedit huc naturæ congrua vis, vt ij quos nonnunquam lancinant curarum tempora, ſuauiter odoribus illius ab omni torpore frequentiſsimè releuentur. Et profectò Comes Illuſtriſsime non Te fallant, qui ſub prætextu auſteritatis, vt omnium nitorē, ita & florum ad varios nauſeant aſpectus: nec illi laxius obſtrepent naribus, ad amænos ROSARVM faſciculos, quibus læta pietas crimen eſt, ſcelus eſt, imò fucus politiei. Profanum hominum genus, & male feriatorum animus, tam ſpecioſos florum faſtidire odores, & arcere ab hortorum Orgijs arcaniſque generoſos Heroum animos; vbi quieſcant læti, vbi viuant affabiles, vnde animentur

 laſsi

lassi, audet? Atque verò ne hæc ita à me dici videantur: habent auctoritatis multa elogia: vsurpantur & à magnis: & vt multos prætercam, fuit hæc Principum gloria non vulgaris, sepositis curarum tractibus, & mole negotiorum suppressâ, hortorum se spatijs sepibusque includere. Fuit laudis, quia laboris; Ducales disponendis hortorum areolis admouere manus. Quid quod Masinissa celebrem cultum Africa mirante floribus dedicauit? Semiramis pensiles flores & aerios fabricasse fertur? Diocletianus lactucas, & olera ad Salonam, purpuræ & omnibus Regijs sceptris prætulerit? Lucullus post Asiaticas victorias, atq; Sulla abiectâ Dictaturâ, reliquos ætatis annos, ad hortorum flores continuauere? Non probrum est, tantum vitæ conniuendum & sensibus aliquid esse tribuendum, vt viuant vegeti, non vt languescant otiosi. Nec hæc illis obfuit cura, quorum animos, vltima vsque Thraciæ; Jndorum & Græciæ inuolare, ac discurrere hortorum permisit septa? Ecquis credat? Etiam minimum sementum bulbuli, plurimos ad sui pretium traxit sumptus. Campaniæ fertiles, qui inuiserent agros, erant; & quod maximum est, si consona facto essent, vltra Alcinoi, & Adonidis, quos finxit antiquitas exirent hortos, modò satiarent aspectu oculos. Facessant hi ab instituto meo, nec cum horum volito otijs. Domi est, quod Deorum gratum munus est: & quod Te ipsum merito concernit, imo Tuam Augustam Comes Illustrissime Familiam. En Sarmatici præ Tuis foribus horti: atque dum Purpureas ROSAS humus effert vere comanti, en ego, quam in vita Magni Præsulis & Martyris, DIVI ADALBERTI Rosarum Vestrarum Præsidis decerpsi, offero hanc eandem Rosam. Mnemorius Artaxerxi pomum medio obtulerat autumno: ego primo vere, Punicam Tuis appono Comes Illustrissime manibus. Quî enim non lætam? Planè ita est: Nibil esse ROSIS amænius, nihil pulchrius, nihil dignius. Nam si Comes Illustrissime spectaueris flores, odore turgent vt recreeris. Si nitorem, virent, vt faueas; si folia, ampla, vt vix comprehendas; etiam illud Comes Jllustrissime non vides, quod tam clarum est? Non Te vnquam angi posse & timere, quid Celtæ, quid Celtiberi moliantur? Quis Patriæ nostræ ab hostibus immineat terror? quis Regni sceptris inuideat? Asiæ Tyrannus ferro nobis, an igne minetur? aut denique num Thanais aut Borysthenis rapidos equorũ vngulis, ad prælia hinniens obruat fluctus?

quid sub Arcto
Rex gelidæ meditetur oræ?

Etiam

Etiam post hyemem virescunt Rosæ, nec citò ad insuaues turbines, rigidasque ventorum luctas marcent. Virent illæ, & ita quidem, vt & inuitis odorem spirent. Rosæ Tuæ florent, & ita certè vt vngant, an vt pungant? Ita rubent, vt alliciant, an vt terreant? Sic sanè Comes Illustrissime Generosa in ortus semina exurgunt suos. Florent vt Ecclesiæ suauissimum spirent odorem. Virent vt vngant doctrinâ, consilio, fortitudine, Patriæ pectora; vt pungant hostium truculentiam. Rubent; vt alliciant Superum ad se animos, Ciuium gloriam, vtque terreant cruentos impietatis hostes. Ecquis enim non videt? quàm latè Rosarum istarum diminarit odor? quæ perennarit gloria? quæ triumpharit fortitudo. Mille Centum & Sexaginta Anni, ex quo Illustres Tuæ Rosæ è sanguine Regum Croatiæ natæ, ac in Principum solijs educatæ, Bohemiam, Silesiam, Poloniam odore genuino fæcundarunt. Nempe citra odium dicam: Sterilem olim & incultum Poloniæ statum fuisse, nisi Vestræ Rosæ insererentur, & demùm legibus, armis, pace, religione, gloriâ decoræ, æternum seris inspiciendæ sæculis proponerentur; dum quasi è Deucalione & Pyrrha Illustrissima COMITVM à ROZRAZEW propago, per lineam sanguinis ad Principes, Duces, Barones, descenderit. Ne verò in re manifesta ambiguam retexam seriem; Extat diploma antiquissimum sub Boleslao Poloniæ Duce, circa Annum M CC. LXX. in Dulsko literis exaratum: quod à tempore Lechi per Bosnonem COMITEM â ROZRAZEW, (qui de Bosniæ Regno, quod ipsi in sortem cesserat, cum Cecho, & alijs Lechiæ primis Satrapis huc deuenerat) hanc Familiam originem traxisse, ac effloruisse memorat. Filius Bosnonis Suantomirus, Comes de Rozrażew, Goẃarczew, & Ponsdorff, Vir magnæ dexteritatis, & nullâ sæculorum gloria comparandus; ex quo nimirum ampla incrementa Poloniæ Regno, Ecclesiæ decora, & promanarint, & omnem Patriam illustrarint. Quid reticeam Stanislaum Comitem, Castellanum Rogożinensem, alterum Poloniæ Achillem, qui quatuor filios quasi quatuor fulcra Reipubl. nostræ reliquit? Et horum quidem vnus Hieronymus Episcopus Vladislauien. sub Stephano, Henricó, Sigismundo, Serenissimis Regibus, ad diuersos Principes in grauissimis Reipubl. negotijs tractandis, legationes magnâ dexteritate, & maturâ prudentiâ expedijt; mira celeritate confecit. Sed heu tristes querimur, quod nos amisisse dolemus: quam arctus fati tenor, estne quod illi non liceat? Dum magnæ sanctitatis Vir Romæ ad Annum Iubilæi commoratur, post decessum

Zbignei

Zbignei Cardinalis Purpuratorum Patrum à Clemēte 8. Pontifice Maximo adſcribendus, febri malignâ, præuentus, non ſine maximo dolore ipſius ſummi Pontificis, (quem aliquoties decumbentem inuiſerat) moritur. Alter Stanislaus Comes, amplis facultatum & præeminentiarum ſpretis titulis, PP. Societatis JEſv ſeſe addixit Religioni; vterque æternum pietatis Mnemoſynon, in Patrio Oppido Rozrażeuiæ, Eccleſiam ſumptu Magnifico, & liberali cenſu annuatim aſsignato; extruxêre. Porró Vladislaus Comes, Galliarum Reginæ Præfectus Curiæ, cum ſumma laude in exteris floruit nationibus. Vltimus Chriſtophorus Vir bello natus, Patriæ amantiſsimus, dum ad oppugnationem Zauolociæ in Expeditione Moſchouitica, ſtrenuus decertaret, muroſque propugnaret conſtantiſsimè, glande traiectus interijt. Quid ille Patruelis iſtorum, Comes Joannes in Nowe-Miáſto, ſanctitatis gloriâ celebris, qui hæreditario contentus prouentu, ſufficere voluit omnium egeſtati. Loquuntur huius memoriam liberaliſsimè in pauperes erogatæ eleemoſynæ, multæ Collegiorum, Monaſteriorum, Eccleſiarum, moles ac faſtigia, tantum ſibi dediſse quantum pietati debuiſſe, cum ſera poſteritatis memoria perhibebunt. Quippè Collegium Lubranſcianum, Academiæ Poſnanienſis, iam vetuſtate collapſum, auitâ Patrum pietate, quæ ſemper vnanimis in literatos & literatorum receptacula viguit, motus: nouiter eductis de coctili latere parietibus, priſtinæ reſtituit elegantiæ, Profeſſoribus cenſus aſsignauit, ordinauit, ampliauit. Quid alios? Stanislaum Poſnanienſem, Jaroſlaum Miedziricenſem Caſtellanos: alterum Stanislaum Lancicienſem Capitaneum, & Vladislaum: Viros quâ ſago, quâ Togâ celebres, fortitudine illuſtres, prudentiâ magnanimos, liberalitate generoſos enumerem? Adeſt Illuſtriſsimus Comes JOANNES Capitaneus Odolanouienſis, Inciſor Dapum S. R. M. Pater Tuus COMES JLLVSTRISSIME, qui totus in obſequijs & amore Reipubl. aliquot expeditionibus, nedum numeroſas militum copias, ad ciuium ſalutem tutandam deduxit in aciem: at ſeſe ipſum, cum multo diſcrimine propriæ vitæ fortiſsimè oppoſuit. Inuſsit hic Tuo pectori Comes Illuſtriſsime Heroicam virtutem, non niſi ad rigidos ſtrepitus armorum virere poſſe: addidit gloriam verè auguſtam: comparauit pietatem certè glorioſam, & niſi Pater Tibi eſſet, auctor certè & imitator rectè factorum. Et ſanè non ſefellit hunc matura etiam poſt ſua fata ſpes; qui viuas in vobis generoſitatis, & Heroici animi reliquit ſpecies. Quî aliter? Documento eſt, æterna illa fortitudinis gloria, nullis

opprimen-

opprimenda inuidiæ technis, nunquam conticescenda generositas in Fratre Tuo Illustrissimo CHRISTOPHORO ALEXANDRO Comite; qui post attentatos hostium insultus in Gallia ad Attrebatum, dulce sibi mori præ cæteris extra Patrium arbitratus Regnum. Ita quanquam laureatis viris, atram fortuna nonnunquam præ foribus inducat vestem: addit etiam æterna, nec tamen obscurat virtutum elogia. Docuit vnus, quantum vis generosa in animis vestris valeret: nec inutilem futuram iri in Patrio solo demonstrauit fortitudinem, dum quantum amor, & egregia virtutum indoles, etiam in exteris posset præsidijs, indicauit. Porrò Tua Illustrissime Heroica facta, annè ipsa pro se loquuntur? Est semper virtuti locus, nec quisquam nisi inuidus ad eius cæcutit aspectus. Sunt et præmia, quæ immarcescibiles sequacibus promittunt adoreas. Sola virtus lucida, sola conspicua (vt Symmachi vtar verbis) auersatur auxilia commendationis alienæ. Reducem Te, & sospitem Patria Tua, ex exterarum gentium Regnis salutauit, sed quid in Te non mirata? Morum grauitatem, iudicij dexteritatem, experientiam rerum, scientiam variarum linguarum, illam comitate, hanc ingenij præstantiâ, aliam multimodâ solertiâ, istam præclarâ indole verè magnam, verè heroicam, verè gloriosam asseruit probauitque. Poposcit aliquid Respublica nostra? an auxilia? an consilium. Ad vtrumque facilis, in vtroque Magnus Filius & vindex Patriæ. Quid quod gliscente hac periculorum mole, & iam iam imminentibus hostium iaculis, quominùs auxiliares copias equitum, peditumque conscriberes, in Castra deduceres, Patriam ab interitu vindicares, minimè sumptuum magnitudini parcens, affuisti. Et hæc quidem sunt magna in Patriam merita, magnis præuia honorum subsellijs; nec tamen idcircò hûc à me afferuntur, vt aliquod vanum per me virtuti Tuæ adstruatur elogium. Fateor mihi tantùm negotij non sumpsisse, nec ita contendisse, vt de meo calamo Tuæ aliquid affunderem gloriæ. Facerem enim insanè, si de triuijs scholæ magnis canenda viris, ad Tuarum laudum assurgerem encomia: præterea etiam me tacente, qui tantillus sum, altos semper Tua magnanimitas COMES ILLVSTRISSIME assumet spiritus, & perennitates. Id saltem exoptasse, vt Illustrissimum hoc Familiæ Vestræ pignus, & nobis optatissimum delicium tenellus Ioannnes Comes, tanquam è speculo, cum annorum largissimo incremento, omnem ex Te Comes Illustrissime dexteritatem ita

hauriat, ſpeculeturque; vt decori domus Veſtræ Jlluſtriſsimæ, Reipublicæ commodo, Eccleſiæ ſolatio, ſubditorum affabilitati exiſtat, excreſcatque. Tu porrò Comes Illuſtriſsime habe hoc indicium pietatis meæ, in Veſtram Illuſtriſsimam Familiam debitæ, ROSAM Roſarum Comes benignè foue, accepta, lege, tene, complectere. Vale, & felix æternùm viue. Datum Cracouiæ, è Muſæo meo, Die quartâ Maij, Anno à Partu Virgineo, M. DC. L.

Illuſtriſsimæ Celſitudinis Tuæ,

æternùm deuotus,

M. MARTINVS KIELENSKI,
Philoſophiæ in Acad. Crac.
Doctor & Profeſſor.

ROSA PVNICEA

MAximè vellem A. A. vt in tanta rerum præstantia, cum [redacted] transactas rigorum hybernalium tempestates, sole sub rediuiuã lucẽ coruscante, vniuersus orbis, in festiuos hilaritatis proruens applausus, nouam spirat veris amænitatem, astris ipsis concedentibus mihi contigisse: non quòd stultè Midas imprecatum habuit, vt omnia quæ sensibus vsurparem meis, auro omnia fulgerent; nec quòd impudenter Cleanthes, vt singula quæ oculis intuerer, clarissimo affulgeant astro; nec quòd ambitiosè Epicurus, vt mihi mortalium obnoxio agitationibus, supernarum mentium voluptates impartirentur; sed vt Oratio mea tantum haberet energiæ, quâ in aures vestras suauiter influerem; & vultus tantum latentis vis, quâ vestris pectoribus, lætissimam suffunderem auram; & animus tantùm Diuini spiritus, quô vestras mihi mentes, ad Magni Rosarum Principis, *D. Adalberti, Martyris & Apostoli Prussiæ*, explicandam vitam, arctissima constringerem beneuolentia. Nimirum, quæ sit hominum præsentis æui affectio & indoles, quam Augusta loci istius sacrosancti, & Auditorum Maiestas, quanta rei istius exprimendæ celebritas, non solum experior, sed planè video, ac perspicio. Ecquis enim non sentiat? cui liberius animus non efflorescat? mens non releuetur? cum omnia ad nouam redacta Metamorphosim, non amplius algida hyems, mollia infestat hominum corpora: non austeri desæuiunt turbines, ac ventilationes, non rigidi Martis, vltra grassantur, cruenta spicula: sed vno omnia feruntur spiritu, & vno feruent colore, omnia vnanimem conciunt mentem, pacata quiescunt omnia. Ac nè hoc ita à me dici leuiter arbitremini: liceat vnicuiq; vestrum, acrius oculorum quàquàuersum obtutum diuertere: videbit certè, quã

ſol auro ſimilior reniteat purius, comitem lucis irradians lunam, quàm illibati ſtellarum chori, clarius eniteſcunt. Terra vegetos parturiens frutices, vireſcentem recreat mundum. Fluctus littoribus cõciliantur, ſoli nubes, aeri venti, terra plantis, plantæ oculis. Nunc fontes manant liquidius, & hybernis compagibus expediti, per campos, & prata, alluuys laxatis diffluunt: ac cunctæ ſuis luxuriantur, & aguntur motibus: turgent gemmis arbores, detonſi nitent herbarum horti, verbo complectar, quidquid ſpectaueris, fluere balſama, [redacted] ſeplaſiam, duras ilices roſcida ſudare mella, ſtrepere dulces auium garritus, hominem ſolum, qui ad vernos reſpiret flores, excitant ac inuitant. Profectò multa eſſe tempori danda, & ætati multa, vt non quisq; ibit inficias, ita facile affirmabit. Cum enim ſit vis magna naturæ, magna ſimilitudo, & multa communio elementorum, fit, vt hæc ſibi inuicem tàm concinna ſint, quàm neceſſaria. Porrò & ſenſus hominum, niſi conformibus exſatientur rebus, ſeruiam & ego tempori, atq; dum lætos vobis exhibet cælum aſpectus, primos fructus veris, Roſam nimirum, ſeu odorem vitæ D. ADALBERTI, ſenſibus veſtris præſentabo. Et verò cum nihil eſſe venale nouerim, niſi ad haſtam, præconiumq; voluptatis expoſitum, niſi aliquo tinctum lepore, & illecebrâ ſuauitatis delinitum fuerit. Impatienter etiam limata hominum iudicia ferunt, quamuis fluxum, & multâ diſtinctum arte, quidpiam proferatur: niſi venuſtâ oris ſuauitate decorum, & latis colorum auxeſibus magnum, ingenio acutum ſubolfaciant. Libens lubensuè, hæc ego ipſa vt pote aptiora, & ſanum encomium non abhorrentia, ad Roſæ meæ trophæa adhibebo. Dabo diſtinctum varietate florem, nitorem & colores virtutum D. Præſulis ponam. Voſmetipſi odorem floris præſentietis, ſi vna mecum, pergenti ad finem ſpiritui, lætos & modeſtos animos parraueritis.

Tu ô Præſul Sanctiſsime. Qui quaſi flos ROSARVM in diebus vernis exortus, Cæleſtem Paradiſum, odore tuo recreaſti: patiare Polono, de tuis modeſtiſsimè diſſerenti laudibus, auxiliarem è Polorum arcanis immitti ſpiritum; atq; ita fluctuantem linguam meam, per cæleſtis Tuæ gloriæ præcipitia, & altitudines oberrantem, ad certiſsimam Diuinæ virtutis Cynoſuram, Heli-

cemq;

cemq; conforma, vt quod voluntati meæ deesse poterit, hoc idem pietati in diuinissima tua facta, deesse non arbitreris.

Prisca illa hominum sæcula, cum omnia ad Poëtarum, veluti quod dam legum gnomon, reuocarent Oracula; nihil se amplius verè habuisse, ac firmum intellexisse rati, nisi quod illorum solertia, ingeniosius cõfinxisset, hoc in vulgus, nutantis fidei aucupium spargerent: ROSAM prognatam fuisse, è Nymphæ cuiusdam nobilioris specie, quæ quidem, manè candida, meridiè rubicunda, de vespere viridis cernebatur, asseruerunt. Et hi quidem, cum omnia offutijs, & nugis plena conciperent deliria: etiam hoc ipsum, non tàm verè, quàm conformiter, non tàm rectè quàm affabrè, figmẽtum ediderunt. Cedo ego istorum ingenijs multa, quos pleriq; Numen Diuinum habuisse, & Phæbo digna locutos faciunt: illam etiam ipsam dignitatis, quod soli, vel firmiùs Vulcano cuderent, vel subtilius Praxitelle sculperent, vel gloriosius Lisyppo, humana ingenia defingerent, concedo lauream. ROSAM porrò meam, quam vobis præsentandam duxi, trinâ hac qualitate vicissim succedente, & flore decoram, quidnî ita? vt ei omnia examussi quadrent? ac quasi natiuo aptissimè consonent cortice, asseram? quidnî, de tàm alta radice, conformiter sua folia, in mundi totius distendisse oras ostendam? Annè hæc ipsa, gloriosi corporis eius, in eo veluti à Zeuxe, subtilius depicta lineamenta, tam clarè vt omnes probent, tàm certa vt omnes videant, tàm iucunda vt totus affectet suspiciatq; orbis apparuere? Quippe Sanctissimus Præsul ADALBERTVS, quod multorum finis & origo gloriæ est: stirps tàm ipse, gloriosa Parentibus extiterat, quàm Parentes eius quidquam, vel cælo dignius, vel terræ illustrius, & nomini suo gloriosius, poterant exoptasse. Patre Slaunico, & Strezyslaua Matre Comitibus, vtrisq; apud sæculum magnis, vtrisq; Cæsarum sanguine proximis, vtrisq; ducalibus, & heroicis fascibus insigniter nobilibus, clarisuè Parentibus ortus: tùm demum, affectatam eorum exæquauit gloriam, cùm quasi distorta totius mundi face, & veræ fidei sole, in Ecclypsim vergente: hinc liuida hæreseon monstra, piorum pestifera animis, tristes nebulas veritati conciebant, ac euomebant: illinc ataxia, & varietas temporum, nunc hos, nunc illos, imperandi auidos, multiplicibus bel-

 lorum

lorum incitabat, petebatq; gladijs: demùm toto orbe, quasi in lugubrem Catastrophen, & feralem exitum inclinante; Sol vnicæ virtutis, Sclauorum decus, Comitum a Lublicž splendor, Bohemiæ flos, auitæ religionis vindex, verius dicam, locustarũ ROSA enecans cunctos malignantium halitus, & obscænitates, exoriens orbem vniuersum, natali suo, collustrauit. Viderant turbatissima illa hominum tempora, iucundam inter sentes, vepresque alte exoriri ROSAM; sed vix viderant, illicò languere viribus: emori corpore, animo hebescere, artubus stupere, ob vltrà ætatem ingruentes morbos, præsenserant. Mæsti hinc Parentes, iam illum vernantis ROSÆ candorem, de mane ad vesperam tetendisse, & luculentissimum Solis radium, atro quasi offundi, prænoscentes languore, in hac iniqua rerum, & mæroris lance, consilij prorsus non inexpertes, à Deo sibi subleuandum, & refocillandum existimârunt. Scilicet, vim quandam naturæ passibus, validius illatam videntes, ad Auctorem ipsum, quo melius Rosæ fæcundaretur vigor, non inscij Diuinæ virtutis, & medellæ appellauere. Stetit votum in facto, nec irrita Parentum, cessere suspiria; namq; quam infirmam & emorientem deplorârunt, subitò ad Diuæ Matris, & Virginis Iconem delatam, nouâ & mirificâ donatam vitâ, resumpsere prolem. O miram, & gloriosam cælestis Imperatricis, etiam in infantulis laudem! Cessit hic tenellus puer, æternùm Sanctissimæ Virgini addictus, auroram vitæ suæ veneratus; imò totus amore eius feruens, in obsequium Diuinæ voluntatis cessit; quippe quem rediuiuum, mundo exhibuerat Cælorum Regina, mancipatum iure suo resumpsit cultorem. Enimuerò, debuerat enascens iam ille Flos, Evmenidum probrosæ obstitisse fæditati, debuerat, tetram illam hæreseon calliginem, iam iam vasto hiatu, & morsu venenato, nedum domesticos, at vicina quæque & obuia, turpissime deglutientem imperia, quispiam cultior disciplinis, & morum probitate decorus, tanquam verioris doctrinæ, sano discusisse argumento. Debuerat certe, sed hæc absq; scienciarum lima & modo, fieri non poterant. Planè ita factum; Parentes eius, in omnem Euangelicæ puritatis profusi, & faciles religionem, hoc vnum præmeditatis consilijs, ratum acceptauere remedium. Iuuenem altioribus annis succrescentem, humaniorum

literâ-

literarum ſtudijs excolendum, cenſuerunt. Nefas quippè iudicauerunt, vt quorum gloria, ſuperiora ſcanderet per gentis claritudinem ſubſellia, deformes in tam ſubtili, & pulchro nobilitatis corpore, ſubſiſtijſſe ſcientiarum ignorantias; quin imò, nobilem ſolum & generoſum, qui ſimul diſciplinis, ac generis præſtantiâ, vitæq; probitate, floreret conſpicuus. Erat illâ ætate, vt è multis rarus, ita facile omnium gloriâ percelebris, & ſanctitate venerandus ADALBERTVS Epiſcopus Magdeburgenſis; cui commiſſus, & in tantum ab eo adamatus, vt pro nomine eius natiuo Woytechus nomen Adalberti mutârit. Quid multa? Acceſsit hinc breui, & exarſit Nobiliſsimi Iuuenis, in ſcientias ſtudium: exarſit ſolers induſtria, atq; adeò excellens vultus, oris, totiuſque corporis phyſiognomia, impensè ſcientijs impalleſcebat, vt nullum tempus, quin hoc ipſum deditum ſit excolendo ingenio, lectioni diuinæ euoluēdæ, librorum mirâ ſtyli ſuauitate, & verborum grauitate ſacrorum: nulla dies, imò nec hora, quâ non aliquid promptius addiſceret, ſolertius recitaret, facilius quæq; abſtruſiora non enuclearet, abiuerit. Non illius teneram indolem, nouiter ad ſcholas acciti, & de fæce hæreticorum nati, obſtrepentes piorum auribus polituli, obſcænitate fædi, faſtu impudentes, vitâ inglorij, animo elati, & in omnem laſciuiam proſtituti, ac luxum ebullientes turpiſsimi potiùs Gnathones, & Balliones, quàm ludi Magiſtri habendi, vel minimum retardârunt. Vanos hos cenſuit ludiones, & ab eorum longiſsimè abſceſsit figmentis, Patrum firmiſsimis inhærens veſtigijs, illorum ſententias & doctrinam, tanquam quaſdam metas, & ſæpta vitæ Chriſtianæ præfixa, ſequendas, complectendaſq; voluit. Stultos etiam; niſi verâ polleant ſapientiâ, quæ certè, attingens à fine ad finem, omnia diſponit ſuauiter, & ordinat comiter; vtque hinc θεοδίδακτεις meruerit vocitari. Florebat Patriæ candidus ille Iuuenis; quia Roſa erat. Vernabat virtutum iucunditatem; prototypon pietatis, & religionis vbertas certè maxima. Eccleſiam orthodoxam illis ſementis rectè factorum fæcundauit; quia pluſquàm Perſianæ nutricis Alumnus, quidquid calcauerat, hoc verè Roſa, hoc verè odor haberi, videri, poterat, debuerat. Quamobrem Patria deſideratum Ciuem, Eccleſia robuſtum vindicem, eundem fuiſſe agnoſcens, acroama illud cæleſtis ſapientiæ, de ipſo

occinue-

occinuerit: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Ecquid mirum? Solus prodigium literarum, solus præconium gloriæ, solus hoplotheca, & armamentarium virtutis habebatur. Ad quem ita homines visendum, vel solâ nominis eius claritate acciti vndiq; accurrerent: ita eius fama, celebriter in vniuersas Orbis partes sese diffunderet, vt factorum eius magnitudo, nedùm terram, ac ferè cælum ipsum, perstringere videretur. Huius ita gloria, eximiè prominebat, vt omnibus gratus, omnibus acceptus, verecundus omnibus, ac modestus, nemini non affabilis, illâ ipsâ virtute redderetur. Premebat moras annorum, antegressa virtus; & cum in eo omnes certâssent virtutes, omnes etiam insimul deuincebant, omnes triumphabant. Creuit hæc tenella ætas, ad laborum maturos fructus, vanæ laudis syrtibus non læsa: gentis claritudinem, quâ quid poterat esse illustrius? Parentum opulenta æraria, quibus quid erat pretiosius? & totum illud blandientis mundi choragium, quod pulchritudinem mentiri solet, scenam pretiosam vanitatis, & quasi quædam fanaticorum deliria, à quibus conualescere, & in sanam virtutum regredi officinam, nedùm arduum, quàm probrosum esse putauit, iudicauit. Solo Dei amore accensus, nihil prorsus habens, quod eum à gloriosis vitæ reuocet stimulis, nihil quod celerrimos virtutum retardet conatus: Nempè humana ista, cum nisi iactationes continuæ, & fluctus sint, in quibus nihil solidi, & certi visitur; nisi ad anchoram veræ pietatis alligata, consistere queunt. O plenum generosæ animæ pectus, ita flammis istis vri, nec tamen in fauillam reduci; istis blandimentis, vndiq; non secus ac satellitibus esse stipatum, nec tamen cupiditatum, quas ætas illa sufferre poterat, telis conuinci? ô verè dignos tanto Iuuene fructus, non luxuriantes ad vitiorum copiam, sed sese vegetâ virtute effundentes ad gloriam? Laudandus animus, quem non fortunæ indulgentiæ molliant, non copiæ principales ad segnitiem luxumq; detorqueant? Ibit per efflorescentes posteritatis fasces, nullis vnquam obruenda rigoribus, illustris hæc pietatis ROSA. Triumphabit hic Athleta gloriosissimus non cum Hectore, aut Diomede deuictâ Græciâ, non cum Hercule, septicipite prostratâ belluâ, non cum Iulio, mille cæsis hostibus: at cum cælestium mentium legionibus, mundo, carne, dæmone, superatis,

trium

triumphabit. Lucebit per omnes seculorum defixa perennitates, Regibus sordida, Tyrannis infamis, cælo demiranda, Deo pretiosa, paupertatis, modestiæ, continentiæ, pudicitiæ vera, ac genuina Idæa lucebit. Equidem ingruebant illa monstra voluptatum cateruatim, in D. Adolescentem, iam iam de ipso triumphum actura, ac brabeum erectura: & cùm nihil fermè quisquã præclarè agit, cui mox veterator ille, improbitatem multo delinitam colore, tacitè non insinuet: nec ita felices, & ex omni parte beatos, nouerit quisquam etiam (vt ita dicam) Diuis ipsis simillimos, quibus non mox truces, ac inuidæ Erebi, subsannent furiæ. Nihil certè tàm præclarè, ac laudabiliter factum, quin spinæ peruersæ alicuius intentionis, illud non pungant, & non pulchrum quodq; lancinent; illud saltem integræ virtutis specimen est, si boni rectiq;, etiam in malo viuimus æuo. Et quanquam, in vita humana, ætheræ illius partis aliquid emicat fortasse: sed non sine adiunctá sibi fæce. Ita caligo, in obtutum Diuinæ virtutis, irretortis animis ferri nequit; error rectitudinem offuscat; voluntas aliquid leuitatis iudicio annectit, demùm cùm hæc nobis videntur, aut certè sunt agnata: nihil est tàm eximium, etiam ab homine eximio, quod aliquando non titubet, si certè non corruat. Intonuit fragoso lænocinio mundus, vt concuteret herbidum illud, Iuuenis sancti studium. Præsentauit fastum, ac pompam; Maiorum ostentauit amplas, & fumosas imagines; ac in tantum illis ludicris, in eum infremuit, vt parum abfuit, quin hunc quoq; denigratum, suis non intruderet voraginibus. Sed non vnquam, candor ille ROSÆ arescere potuit, qui sic molliter flantibus Diuinæ clementiæ zephyris, vltimã Thulen, odore suo iuerat perunctūrus. Non aliquando, vehemens illa, & omnia virtute sua adurens fax, in salebrosas vitiorum vndas impacta mergi, & offundi debuit; quæ sic præuio veritatis sole, spargebat cælo lucem. Audite verò casum. Quid exhorrescis lingua? Dic vltrà! Itanè hæc hominum vita!

O curas hominum! ô quantum est in rebus inane!

Equidem citiùs ipse sperarem, in Cretæ Labiryntho exitum. In Gordij plaustro lorisq; caput In Cymmerijs tenebris lucem. In Scyllæ, aut Charybdis æstu tranquillitatem: tutiusq; ad Thermopylarũ anfractus quiescerem, quam ad istius mundi periculorum viuerem

 phalan-

phalanges. Deus bone, quæ tenebræ! quot pericula! quis interitus, aut vbi gentium sumus! Infelix ille Pragensis Vrbis Antistes, quem ignominiæ causa nomino Drythmarus, ô casum magnæ fortunæ tristem, & vtinam magnis euitabilem! insolentius victitans, inter media voluptatum puluinaria, protinus Diuinæ vltionis concutitur iudicio: inter solutos corporis lusus, miserrimè illuditur, damnatur, & inferorum gehennæ, æternùm cremandus obijcitur. Speculator Tragicæ istius scenæ, aderat ADALBERTVS Iuuenis: & quid tum fluctuans aggreditur? quos renouandæ vitæ arripit modos? quam sectatur obtinendæ salutis normam? Somno quasi Syrenum illenitus, tandem nefando percitus proscenij plectro, in liberiorem perfractis mundi istius, quasi alterius Circes tendiculis, euolat auram; ita factum, virtus alta obscurè latitasse nescia, mittit sui signa, & quem marcorem licentiosa paulullum, in florem attraxerat vita, hunc longè clariori fæcundauit pietatis alimento. Extrusit illos serpentes vitiorum surculos; ne scilicet, ex quibus ille obscuræ memoriæ Antistes Pragensium, pestem omninò hausit, in se quoq; pernitiei causam agnosceret. Prostrauit illos Dracones blandimentorum, Cerastas venenatissimos, qui etiam de longinquo spiritum absorbent: honorum alites, aëris huius sagittas esse, quæ vsq; ad cælum scelestes eiaculantur effectus, deprehendit, imò deuicit; successor dignitatis non successor vitæ. Atque equidem, anne hîc Auditor non stupesces? Eo ipso tempore, & eâ ætate, quâ iuuenes, calcato virtutis fœdere præferoces, per medias voluptates indomitis præmonitionibus, veluti quadrigis inuehuntur: is vt vitam summarum virtutum præsidijs, contra vim efferuescentis cupiditatibus adolescentiæ muniret, non se illis, quibus vti, & abuti, pro licentia poterat delicijs addixit: sed totus amori Diuino immersus, in vita veluti Angelus, non homo putabatur. Iuuenis ille, nec dum depositâ primæ lanuginis prætextâ, iam virilem togam, & seniles maturosq; spiritus sumere: iam à lusibus, & faceta dicacitate ad cilicia, à petulantia & consortijs procacium, ad solitudines: à voluptate & fatalibus mundi tendiculis abhorrere, ieiunare: iam posthabitis leuitatum otijs totum se mundo abdicare, & modo offusas animi nubes, in copiosos lachrymarum imbres soluere, modo Magnæ Parentis, & Di-

uorum

uorum Patrocinia, ad placandam ſibi præmaturè iuſti Iudicis Maieſtatem, requirere: modo ſuccreſcentem vitiorum fætum, doloris, atque odij pari iaculo perimere: nunc feruentius in Deum ipſum, ſenſus ſuos dirigere, ac collimare cæpit. Ingreditur ergò Cathedram electus Epiſcopus Pragenſis ſed qualiter? Vili inſidens equo, veſte mendicâ, ac Centonibus neſcio quibus deformatâ tectus. Sic quondam Vlyſſes Græcorum fortiſsimus, quo Palladium auferret Troiæ, mendicitatis præſetulit ſpeciem. Sic Codrus Athenienſium, quo aduerſantes hoſtium deuinceret copias, medijs ſe caſtrorum inſimulauit ſpatijs: ſic illi quidem, vt aliquid aſtu præhenderent, & gloriam nanciſcerentur memorabilem. Sic Diuus Præſul, vt aduerſas Deo ſubiugaret humilitate, ſuorum ciuium inuiſit mentes, & mœnia Et verò quid miraris Bohemia! Aſſurge tandem in occurſum tuo Præſuli, & habe aliquid quod ei obijcias? Aſſurge & dic arrogantem? O te inſanam vt hæc proſtituas! en modeſtiſsimus Eccleſiam tibi Paſtor tuus reſerat. Dic faſtuoſum; ô calumniam! ſcilicet cum duodecem aſsidens pauperibus, non ſe eis conuiuam, at ſeruitorem exhibuit. Dic ſplendidum; ô Te cæcam & amentem! Scilicet cùm non ſuperuacaneo aulicorum numero multiplex, non comitatu copioſiori inſtructus: diues opum cæleſtium, diues virtutis, diues & gloriæ, tantum habens humilitatis, quantùm manſuetudinis, tantùm obedientiæ, quantùm dignitatis, tantùm charitatis, quantum patientiæ, tantùm Diuini luminis quantùm officij. Vidiſſes tunc illam Bohemiam, quæ lucentiſsima fax Catholicæ religionis, à tot ſæculorum myriadibus, toti orbi ſpectanda, imitandaq; arſerat, tot virorum, qui Chriſtianum orbem pijs ſubleuarent auxilijs, genuinam parentem, nunc in turpẽ Babylonem commutatam ſic degenerauiſſe, & præcipitem in vitia iuiſſe; vt ex tàm pulchra Gratiarum Dea, ex illo virtutum intaminato delubro, Athyn vitiorum plenam, enormitate fartam, luxu deformem, noxas nefandas, pro audacia turpius; laſciuias pro cæcitate incæſtuoſius; ſacrilegia pro indignitate auidius: demùm cuncta vitiorum probra, pro impunitate laxius; in omnes incolas regni deriuaſſe vidiſſes. Doluiſſes illam tàm pulchram Bohemiæ vrbem, & Metropolim opulentiſsimam Pragam, ad ſalubres diſciplinæ, & monitionum ſpiritus ſic refragantem, ac recalcitran-

tem obſtitiſſe, vt ruptis fermè humanæ, ac diuinæ legis repagulis, nihil niſi portenta ſcelerum in viſceribus ſuis aluiſſe, & omnem prorſùs pietatem abieciſſe, doluiſſes. Iam tùm erat Praga vanum Idolorum emporium: iam eò omnes omnium vitiorum colluuia, irreptabant: quanquam quid hic primo dicendum eſt? quid in rebelli accuſandum populo? quid deinde Sancto Præſuli, in media ſtrage & gurgite vitiorum faciendum? quid in Ciuibus corruptis reformandum? An quod honorati, & bene nobiles his ineptis aſſueti inſoleſcant, & vltrá modum debacchentur? at hæc omnibus promiſcua applauſit licentia. An quod ſexus vltrà ætatem, libidinum effætè torpeſcant ſcabie? at ijſdem nulla pudicitiæ lex. An quod Chriſtiani vltra Dei præcepta, inſolenter viuunt? at hæc ab ab ipſis ſpreta & abiecta. Iacebant illa ſpectra hominum non homines, luxui, & rapinis dediti, obliti honoris. Putreſcebant ætate quicꝙ prouectiores, vitijs grauiſsimi, obliti ſexus. Scatebant enormibus probris, tranſgreſſores Diuinæ legis Chriſtiani, ſi ita dicendi, obliti profeſsionis, obliti nominis, virtutiſcꝙ obliti ſcatebant. Nulla pars vrbis, imò nec imperij totius, quæ hæc portentoſa non euomeret monſtra vacua cernebatur. Nulla domus, imò nec prædium, vbi non cruor innocentis ſanguinis ſcateret, ac in alueos plofflueret. Nulla platea, imò nec locus, vbi non ſtrata corpora, internecionibus defædata; nulla Eccleſia, cuius oſtia non effracta, & non violata ſint: prorſus quia vna erat ſcurrilitas omnibus, vna leuitas pueris, ſenibuſvè: ſimul omnia luxus, potationes, perditiones, rapinæ, incendia, prædationes: omnes pariter pro licentia agebant, ebriabantur, enecabantur, laſciuiebant in conuiuijs vetuli, ac minorennes, ad viuendum propè imbecilles, ad ſcelera viuaciſsimi: verbo dicam, quantùm quiſꝗ; viribus valuit, tantùm ſceleris patrauit. Ac profectò; dubitatis quietine ſuæ & commoditati, quam potiùs proximorum ſtudio, ſic perditis hominum conſcientijs, vacauerit? Num verò amore in proximos perferuidus, virtutum opificio nobilis, conſiliorum prouiſione peracutus, euentorum varietate ſagax, gratè verecundus, mitis in ſermone, ſpiritu fælix, ac non minùs vehemens, vbique populorum obſequio accomodatus, irruentibus illis malis, obicem ſeſe non præbuerit; An demùm tàm cæci, & nictiantes Pragenſes

fuêre,

fuêre, vt pernitiem hanc, per ora omnium ſuperbiſsimè incedentem, non viderint certè; ant tàm fatui, vt viſam & lædentem animas eorum, omninò approbarint? Erubeſcebant profectò illa ſenticeta, ſuprà rosæ ſuis inſertæ viſceribus fæcunditatem: ac vix odorem eius cum ferre poſſent, odijs in Diuum Præſulem & ſimultatibus, apertiſsimè pugnabant. Ingemuit Diuus Antiſtes, & vigilans Paſtor, ad miſerandam illam ciuium ſuorum pernitiem, & tamen magis, ac magis ſuccreſcente religionis zelo, quo manum periclitantibus aut porrigeret, aut omninò præcluderet viam, atq; eos Deo reconciliaret, mille ſubire pericula, mille ærumnas pati, non detractauit, ſed affectauit. Omnes in eo quocircà defigit curas, & cogitationes, vt alios pelliciat, alios inuitet, alios firmet, & ex faucibus Orci eripiat: quærit in compitis, in carceribus, in xenodochijs: hinc inſolentes pacificat, ibi compedibus ſtrictos ſoluit, illinc languentes curat, & reficit. Nunc in publica luce, & ciuium frequentiâ concionatur, nunc pagos & diſiuncta colluſtrat prædia: optimi Paſtoris functus munere, vt errantes in Chriſti ouile redigat animas, atq; à ſcabie impietatum purget ſanetque, toto incumbit pectore. Taceo hîc illos lachrymarum vberrimè fluenes, dies noctesq; continuò exuperantes riuos. Taceo arctam ieiuniorum obſeruantiam. Prætereo vigiliarum inſuaues ac rigidas horas, corporis mortificationes, & quæ ad placandam Diuinæ Maieſtatis iram ſpectare videbantur commemorare, quanquam fas eſt, ſatiùs tamen veneranda, quam repetenda exiſtimo. Ecquid enim plura? ô ſi illam cæleſtem animam Diuinis intentam vidiſſes rebus, quam veloci accurreres animo! quàm alto ſuſpiceres oculo! quàm copioſo offundereris gemitu! vſque adeò vigor ille ſpiritus Dei, in eo ferueſcere non deſierat, ſi quem labantem inopia, fætidum animo, putrem vitijs agnouiſſet, hunc quaſi ſubitâ accenſus flammâ, in amorem Dei, de turpi illa vitiorum ſorde, de probris & ſceleribus in pietatem, de fætore in odorem vitæ ſuæ cæleſtis inuitabat, pellebat, rapiebat. Non euanuit in eo vigor ille Apoſtolicus; at potiùs ita refloruit, vt alterum Eliam pro Domino Sanctorum, fortiſsimè contrà Iezabel vitiorum obſtitiſse; contra ſexcenta illa libidinum probra & turpitudines: contrà luxuriantium deformes apparatus, & proſtibulorum gynecæa, de carcere euo-

catum iudicaſſes Ioannem. Obſtitit quis inſolentior maledictis in Virum Sanctum armatus, temperauit hic hominis inſolentiam humilitate: Efferbuit calumniarum aculeis, ſtetit illæſa conſcientiæ quies: laxum impietatis recruduit virus, illicò Paſtoralis diſciplina ſe ſe firmius oppoſuit; atque ita dùm illa maleuolentiæ fluctibus colluuies populi æſtuaret, & vndiq; fætorem rabidum, furens hominum grex, in Diuum Præſulem exhalaret, vndique cauillantium inſidias euomeret; dum nihil ampliùs niſi direptiones, & latrocinia exerceret, niſi violentiam in Deum, fanaq; ſacrorum, teterrima prædonum, non ciuium caterua attentaret, niſi incæſtuoſam adſpirarent vitam, niſi ſacrilega Clerus exerceret connubia: ROSÆ hinc odor, latè ſua explicans folia, vrticas illas, & carduos virore ſuo, & nitore vt recreauit, ita ſuperauit. Et quidem non defuit Viro Sanctiſsimo ſanandæ illius vel abſcidendæ peſtis, ſiue auctoritatem ſpectes, quæ magna erat; ſiue officium, quod ſublimè & rigidè obſeruabatur cenſeas; modus. Præſtò erant extirpandorum ſcelerum media & tela quibus portenta ferirentur illa; ad manum diſciplina, quò facilius deprauatos eorum animos ſanitati reſtitueret: illi ipſi Diuini aculei oris eius, quaſi ROSÆ faſciculo lentè aſſurgentes, has ſceleratorum manus, ſi vngere, & pungere poterant. Poterant; niſi plus exemplo doceret, quam verborum perſuaſione cohiberet. Itaque Magnus ille Præſul, ſed tamen non grauis. Dignus & amans Patriæ Ciuis, ſed non oppreſſor. Prudens rerum æſtimator, ſed non exoſus cenſor: zeloſiſsimus fidei Propugnator, imò & patiens oppugnator. Iudex ſagaciſſimus, ſed non rigidus monitor, nec importunus inſtigator. Caſtigauit ille quidem, ſed non cum gloria, & triumpho; & cùm tamen caſtigauit, vix caſtigaſſe videbatur, at potiùs condoluiſſe, ſi quæ in quopiam fragilitas & intemperantia extiterat. Venit mitis ille, & iucundus ROSÆ Flos, in ſuaueolentem vicinis odorem, ſuis Ciuibus inuiſus venit. En quid audio? Vicit tandem, veſana iſtorum proteruia, Antiſtitis Sancti innocentiam; ſed ne ita vicit, vt turpius ſceleſtorum ſuccumberet manibus, quàm potius victus non triumpharet. Superauit tandem illorum ſocordia, agiles laborum Athletæ Sancti Spiritus, cruentas vigiliarum concertationes, ſed ne ita ſuperauit; vt ille magis odioſus, quàm non

exoptatus ab vniuerſis affectaretur, exoptareturq́ Dynaſtijs. Clarior quippè, & glorioſior Vir Sanctus deuictus extiterat, quàm ſi victor de edomatis eorum procacitatibus, triumpharet. Ac enim quemadmodum limpidiſsimum Solis radium, torpeſcentes tempeſtatum, & imbrium procellæ, nedùm obfuſcare, ſed ne tangi quidem, cum labe minima poſſunt: at ſol innatum etiam poſt nubilarum gurgites, minimos quoſq́ orbis angulo illuminans, explicat ſplendorem, & ſolito accendit calore: tumq́ vires ſuas accelerantibus noctium lemuribus, non ſine multimoda aduerſaq́ operatione certius exerit, ac omnia pellit: ita fermè Nitidiſsimus ille Sol, DIVVS ADALBERTVS, inter tot noctes, & vitiorum tenebras denſiſsimas verſatus, nec ita Pragenſes ſuos, enormibus pluentes conſcientijs obſcuros reliquit, vt aliquam meritorum ſuorum & virtutum, lucem eis non inſtillaret: ac Diuinis operibus veluti tædis, & faculis, indurata non colluſtraret, vel emolleſceret hominum pectora. Multa profectò Sanctiſsimi Præſulis pectori fax, cæleſtis pneumatis infixa, quæ noctes dieſque, nouis ignium ſuccreſcens alimentis, ſuas vbique terrarum flammas ventilabat, tandem nicticoraces, & veſpertiliones illos, quâ ſine viuere, non vitam ſibi putarânt, inuitos eò vſque adegit, vt breui lucis tædio victi, quòd tàm ſanctum dimiſerint virum, de eodem reuocando iniuere conſilium. Expediunt itaque ſuaſu Principis Romam Papatum, & Chriſtianum, qui Diuum reducerent & ſuæ Cathedræ præficerent Epiſcopum; vtque de ſeptis Monaſterij, ad rurſus edomandas peccati harpyas, ad trucidandos aſpectu horrendos, nomine triſtes, veneno lethales, illos inquam ſcelerum oloſagos exeat, negotium non ſine Summi Pontificis obedientiæ ſtimulis, injciunt. Venere illi ſupplices, ſuum ſuorumq́ ciuium nuntium explicauêre. Diuum Præſulem ardentioribus votis expeti, & Pragenſi populo remitti petiere. Quid deinde? Miror ADALBERTVM amore languidum & potentem, ſublimem & modeſtum, victum & victorem, inſuetumque charitatis robur ſuſpicio & maximè miror. Videte, videte precor verè animum Apoſtolicum, videte feruentem charitatem, videte ſolicitam curam Paſtoris, pro grege ſuo reuocando. En pergit Diuus Præſul, ſed quò tandem? Pragam illam deſertam & inutilem vi-

 neam,

neam, vt exſtirpet & plantet Domino. Quo Comite? Maximo; quia Cæſare verè Auguſto Romanorum Otthone; O inuictum verè Præſulem, qui tantum ſibi ſumit pietatis, vt etiam occumbere pro ouibus properet! ô egregium ſanè Monarcham, quem ille optatus Sancti Præſulis nobilitauit affectus: dignum etiam gloriâ nunquam moriturâ; cui tam ſanctus familiæ, itinerisq; adiungitur Comes: beatum deinceps; qui virum tantum, ſuo excipit cubiculo, ſuæ acceptat menſæ, ſuo adiungit lateri. Quî enim vel hoc ipſo non fælix Cæſar? Vnus obtinuit, quem tota popoſcit Bohemia, pro quo totus pugnauit orbis, cæli ipſi hunc eundem vindicabant. Et hîc ego nolo ciuium, & totius Regni applauſum recenſere, dum reducem in Patria Principem, in Eccleſia Præſulem, in Religione vindicem gratiſsimum, mitiſsimum, fortiſsimum viderunt; volo aliquid dicere de eorum lætitia, dum medijs offuſi tenebrarum caliginibus, ſubitam adſpexere in Vrbe lucem. Profectò eratnè tùm triſtis Ciuium facies? ſquallebatnè Senatus? an equeſtris ordo lugebat? aut populus mæſtus conſpectum eius hilariter ſe ſe obuertentem deuitabat? Minimè verò. Tecta ipſa, parietes ipſi, priuatarum ſacrarumque ædium, mirificè geſtiebant: nec erat quiſquam, qui non primò viſendum, primò ſalutandum, primò complectendum percuperet Antiſtitem: omnes donaria, concentus viuos, tripudia, gratulationes venienti obtulere Præſuli. Verùmenimverò, quid tàm eſt firmum in ſemel procliui ad ruinam, cui non mox aliquid detrimenti accidat? quid in plebe varia, tàm dignum, quod non citò nunc hâc, nunc illâc labeſcat? quis demùm tàm conſtans, & rectus, cui non praua ex vſu, quàm tuta ex diſciplina obueniat via? Ruunt omnes in præcipitium & ſtultè; feruntur in biuium, & periculosè; accelerant ad interitum, & æternè, atque miſerabiliter. Non tàm illa fuit correctio diuturna, quàm licentioſior. Etenim dum S. Præſul cæleſtis gloriæ, per longas ærumnarum concertationes ſubeundas repandit coronas, illi vimine iam ſcelerum nexi, non ſe huic aptant, verùm indignantur: ille virtutum ſtudium ſuadet, iſti turpitudinem amant: hic ieiunia, deuotiones, illi luxus, ſcurrilitates ſectâtur: demùm contrarij omnibus, impatientes diſciplinæ & monitorum, ad ſolitam redeunt quod aiunt farinam. O gentem perditam,

ditam, ô ingratos homines! Concurrunt vndique, tumultuantur, & quod horrendum est, ac larga querelæ materies, illam illam ipsam domus eius Augustissimam Prosapiam, illas illas ipsas ROSARVM radices, illa illa ipsa COMITVM à LVBLICZ decora; multo agmine furentium instructi, truculentissimè Diui Præsulis genuinos fratres cædunt, & vnà cum ciuitate funditus euersa, omnem familiæ eius abolent delentque memoriam. Sensit hunc D. Præsul dolorem, sed magis eorum deplorauit perditos animos. Audijt hos rumores lugubres, sed tristis ob ciuium, non ob fratrum, parentauit exequias; atque vt se immunem ab illa lue hominum præstitisset, Euangelij amore accensus, iam Hungariam, iam Poloniam, inuisit. Inuisit nè solùm? etiam docet; docetnè solùm? etiam tuetur; tueturnè solùm? etiã amat: atque ita plenus Spiritu Dei Vir, non primò hunc deserit agrum, quàm larga messis cælestis, vbertate eorum dico Regnorum horrea fæcundaret, & exsatiaret. Ita bene iam crescentibus fidei racemis, quas in Hungaria plantauerat, ad Regis Geizæ solium: virgultisque in frondes cædentibus, nostram hanc quoque Patriam, (ne cum omnibus præsens nobis deesset) ingressus. Cracouiæ in Vrbe Metropoli, pietatis, & scientiarum Prytanæo acceptissimus Regi, Senatui, Clero, populoque, non Pragensis, verùm Gnesnensis salutatur Episcopus. Acceptauit Vir Sanctus excelsum hoc munus, plùs oneris & laboris, quàm quietis subiturus. Reperit fortassè strenuus ille Athleta Christi, nouella sementa fidei, à Regni iam adamata Proceribus, in deteriores abire casus. Reperit plùs fortasse, quàm Christianæ professioni libuit, luxui, ebrietati, & præstigiorum nugis, plerosque conatũ adiecisse; imò cum licentiosa vita licentiosè, & cum libera liberè, in scelera iuisse. Multæ hinc erant scabrosæ conscientiæ, nisi nouis refricandæ virtutum monitionibus; plurimæ luxui deditæ animæ, nisi strictiori auocandæ disciplinâ: innumerabiles cupiditatum indulsere fomentis, nisi arctiori compescerētur repagulo. Enimverò quò maturati odoris ROSA, DIvvs inquam ADALBERTVS, ad apricantes in meridie Diuini amoris radios, latè explicatis iam foliorum spatijs, in purpuratum descenderet colorem, imò & virorem. Prussiam vespertinis obrutam tenebris, & superstitionũ alluuie torpuisse audiens, Radzi-

 no seu

no seu Gaudentio Ecclesiæ regendæ subornato, ipse Poloniæ valedixit. Illi Poloniæ, cuius Primas, & Pastor fuerat, tam acceptus, quàm augustus Valedixit Gnesnæ, illi Vrbi, in qua per quinquennium & ampliùs, virtutum propugnacula, pietatis sanctæ delubra nidificauit, struxit: Ciues vrbis refertissimâ veritatis vbertate pauit, sustinuit, educauit. Illam Gneznam, quam ille veluti alter Amphion, moribus rudiorem, & vitâ morosiorem, iã rectis operibus fide, iustitiâ, cicurauit, & sic in societatem Christianam reduxit, deserit: pauperes liberalis Patronus, filiós Pater, oues Pastor, Ecclesiam Antistes deserit. Et hinc an non in diuersos singultus Polonia erumpebat quid censetis? An non alta suspiria, de penetralibus pectorum, illi ipsi egeni quos ille mensâ suâ reficiebat, pane alebat, enutriebat, manu propugnabat, emittebant? Doluit Polonia ciuem suum, Optimates Principem, Rex quem non sine magno nominis elogio, æquè rerum præstantia ac bellorũ gloria æternus Boleslaus Chabri, reticere nequeo, Collegam & propugnaculum Regni doluit. Illi tamen gemitus, hæc suspiria vberrimis lachrymarum offusa guttis, illi dolores vniuersi, obsequentissimæ plebis, amantissimorum ciuium, nequaquam D. Præsulem retardarunt. Valedixit S. ADALBERTVS Poloniæ, valedixit ô dolorem! imò & in Prussiæ remotiores abijt oras: Inuisit gentes illas moribus barbaras, multitudine infinitas, vitâ efferatas, loco remotas, virtutum osores, pietatis communisque tranquillitatis perduelliones, veræ religionis hostes, tortoresq́ exitiales; quibus nulla lex foro, pietas tuta & pax nulla domi, nulla societas vicinorum, probitatis nullus delectus: vbi omnia dira, omnia rabida, perniciosa, & hostilia miscebantur, agitabantur. Appulit inquam in illas orbis partes, quæ vix notam alicuius virtutis conceperant Christianus Argonauta, opimus mercimoniorum cælestium: sed quid tandem gens scelesta non patrat, imò verò, quid non feritas rabiosa attentat? truculētissimè ab eis exceptus, & hostiliter tractatus. Vix enim de naui descenderat, vrgentibus ab eo pecuniam nautis, cùm se nihil nummorum habuisse, & pauperrimum profiteri cepisset; intrà scapulas remo vehementissimè ictus, in terram decidit. Salutauit illa prima laborum suorum præmia, illos inquam vibices, & concussiones durissimas à multis af-

fecta-

fectatas temporibus, an murmurauit? Altero comitatus socio, vrbem ipsam ingreditur: tùm homines perciti inassueto habitu, & cucullâ religiosâ abrepti in admirationem, quasi illi sint exploratores ad eos visendos, vndique concurrunt, cateruatim. Quærunt qui sint? cuius gentis? quâ mente? conditione? negotij & nominis. Tum illi se esse Christianos professione, Apostolos vocatione: Sacerdotes & religiosos vitâ, animo cælestes, opere Diuini, qui soli veræ fidei labarum, & Crucem IESV CHRISTI, vnius Dei in Trinitate, & Trini in Vnitate gentibus ferant ac expandant asseruere. Sed quis ad Cataracta Nili, auratâ Cytharâ dulce resonantem Orpheum audijt? Quis in clangoribus, & sibillis Pythonum infernalium, cælestis philomelæ excepit cantus? Quæ bellua ad Lernam impietatis natans, auream Demosthenis, aut illius Hermetis Diuini affectauit & exaudijt facundiam. Prædicabant illi quidem gentibus scandalum, & impijs stultitiam. Confundebantur illi nuntij æternæ pacis, ab illa eorum impietate. Superstitiosi & desperatæ audaciæ homines, in illo Idolorum cultu asserebantur. Patriæ demolitores religionis, & expilatores regnorum, in illo dæmoniorum cætu habebantur. Ac proinde, exhorrescens ad primam illam visionem ROSÆ fæditatis Sathan, & prodromus impietatis Belial, cum ferre diutiùs nequiret fragrãtiam floris, euigilans nunc hos, nunc illos inquirit modos, quibus per Iasonem Christianum vellera illa sanguine Dei irrorata, & appretiata, nunc vindicata, & è seruitute infernali erepta, ad se rursum tanquam mancipia peccati pertraheret. Ecce furentes plebis impetus, & ab inferis Erynnes euocatas, satellitium improbitatis, rabie, cæde, sanguine liuidum, in D. emittit Præsulem. Pellitur hic, raptatur, alter, vterque extrà Vrbem eijcitur: at non animo sed corpore, non spiritu sed viribus, impar exturbatur. Magnum profectò & sanctum, & Deo dignum spectaculum, inter mille corporis ærumnas, & dispendia sibi hærens animus Maius inter procellas furentis Orci, mens quieta: maximũ inter atrocissima sæuientium odia, & supplicia, crucesque, profusa in Deum ac proximos, charitas. Prussia sanguine, & tumultu ardet, at ille amore Euangelij, vt Prussiam pacificet, nonne hic robur est! Prussia cædibus plena districtos acinaces, in iugula ad

uenarum exacuit euibratque; at illi solidam patientiam Christi fidelibus, & amorem commendant, nonnè exstimulaberis? Prussia tot infamis crudelitatibus, Sathanæ filia, Deo rebellis, fustes, clauos, lanceas, hospiti sancto congerit, at ille quo speciosior gentilitati appareat, iam habitum mutat, iam mores regionis sumit: his nè minimum consternatus, quæ ad contundendum animum inuecta, & inuenta sunt, omnia ad corporis cruciatum cessisse exposcit, quis ad tantos spiritus non stupescat? Nimirùm A. O. nisi benè tersa fuerit ROSA odorem supprimit, nec in cælestem Paradisum inserenda primò erat, quam depositis mortalitatis exuuijs, Spiritus promptius, in odorem & holocaustum Deo ipsi obueniret. Dabat fortè tunc Athleta Christi fortissimus, propè oppidum sinus Venedici, quod Fischausen Germanis est, sacrosanctis precibus operam: atque cùm ille ardentiori spiritu, sublimia & Sanctissimæ Triadi notissima contemplaretur mysteria, & ministeria, ô truculentiam! quinque præacutis ferro lanceis, Venerabilem transfodiunt Virum. Nequaquàm tamen, inter has dolorum acerbitates, venis iam cruorem stillantibus, concisisq; membris, paulatim cum sanguine vitâ defluente, flamma illa semel in pectore eius accensa, obtorpuit. Manebat illæsus animus: imò verius ROSA illa, de purpureo colore, in virorem mutabatur, spirans cælo odorem, stillans terræ cruorem. Manebat immota mens, nec trepidans S. Præsulis fides, erectus animus, contemptor mortis, sui victor: qui tot sibi ora ad Dei laudes celebrandas adjci putauit, quot erant in corpore vulnera, imò quod sanguinis stillicidia. In quem hoc illi carnifices poterant, quod aduersus solem nebulæ, contrà Rosam sordes, contrà flammam fumus. Concidebant illius sanctissima membra, illis ictibus iam debilitata. Lababatur corpus pretiosum in terram, saucium, & vulneribus plenum: at Vir Sanctus, venerandos ad cælum erigens oculos, sciebat cui se crederet, cui animam dedicaret suam; hinc atque inde respiciens corporis membra dissolui, Cicatrices cruorem non primo comprimere, quàm spiritum remisissent: ipse suam, quam Deo vouerat, mirabatur patientiam. At enim truces illi lanienæ, vltrà sæuiunt. Faciunt plura manus quàm ferrum; detrahuntur trementibus velamenta membris, sacræ disrūpuntur vestes, raptatur gloriosum corpus;

pus, pugnis excipitur, & vt grassaturas manus totum corpus admitteret, nudatur Viri sancti exantlata, & gloriosa macies, toto deindè tenditur loco, laceratur, conciditur, & in frusta minutissima secatur, ac in partes disijcitur. O insatiabiles sceleratorum, & sacrilegas manus! ô nunquam visum cælo facinus! Cur hæc impia hominum patrasti dextera? diris potiùs deuouenda, & cremanda ignibus? Cur hos scelestos non potiùs terra absorbuisti, quàm vidisti? Cùr sacrosanctum illud Martyris corpus ab impijs eorum gladijs non vindicasti? Scilicet qui omnibus in vita indiuiduo lumine luxit, minutim sectus, tanquam radijs quibusdam collucescentibus, ima quæque collustrare debuerat & post mortem. Tot enim erant soles, quot scissuræ corporis, tot luces & stellæ, quot segmenta aut cruor perfudit, aut dolor vulnerauit. Ergò fortunatam mortem, si hæc mors dicenda est, quæ tanti triumphi causa extiterat: fragrantem Sarmatiæ Rosam, cuius partes dum discerptæ iacent, sementum celeste ne vulturibus pateat in escam, cælum binos, ac terra totidem prouidit alites. Non maculatur purpureus Rosæ istius flos, qui iam virescere cæpit insertus cælesti paradyso. Odor hic ita diffusus est, vt breuî vehementissimè Polonorum ora & pectora percelleret; quippè Poloniæ Proceres Barbariæ adeunt Regem, etiam vel ære vel gladio vindicaturi, venarandum corpus. Annuit ille, pecuniam poscit; corpus sanctum è terræ ruderibus effoditur, lanci appenditur, libratur, æstimatur, & demùm quod sine miraculo fieri nefas minimum appretiatur; in Poloniam vnà cum Legatis accipitur. Ferebatur pretiosum pignus Poloniæ, & malim dicere vniuersi Orbis Rosa & quidem vel studijs vel humeris multorum; totq; erant sepulchra mortuo, quot hominum pectora eius doctrina munda, & resupina. Quanquàm non rectè vsus verbo sum, quo me vos ipsi vti coegistis. Neque enim ei vnquam vllum sepulchrum fieri poterat, cuius gloriosa immortalitas, cum Diuis cælitibus perennatura, iam abiuerat. Redibat triumphans Flos Rosarum in Poloniam, cuius erat vindex: veniebat Sacerdos in Ecclesiam, primò Tremesnam, deinde Gnesnam, cuius erat odor. Et tùm quos terra nostra triumphos peregit? dum quem cum lachrymis dimiserant, cum triumpho reducē salutant? quos concinnauit applausus? dum quacunque sacra infe-

rebatur theca Reliquiarum, illac statim concurrentium populorum multitudo, hâc pompæ & supplicationes deuotæ fundebantur: quacunque flos ille se se diuerterat, isthâc accensis cereis diuites vt ornent, pauperes vt videant, morbidi vt sanentur effluxere: illi modulationibus & hymnis, hi suspirijs, isti votis, aera replent. Campos, agros, valles, siluas, ac eorum lucos, frequentibus exornant concentibus. Stupet animus & lingua hæret; laborat posteritatis fides vt credat; credit tamen vt extollat; extollit vt admiretur; admiratur vt videat; videt nec satis percipit. Quæ enim tam fæcunda ingenij existere potest vbertas, quod tam Diuinum os, quod non dicam narrare, sed leuiter percensere Diui Præsulis gloriam, Poloniæ laudem, cælorum triumphum queat? Dicam vltrà: Felices vos & fortunatæ regiones, quas D. Poloniæ Archipræsul, cælesti Euangelij luce solidauit, illustrauit. Felicia ac beata Regna, quæ Diuinam loquentem sapientiam, Apostoli istius audistis, & per eundem Athletam Christo vnita perennatis. Felices Vrbes & ciuitates, quarum S. Præsul munitionem claris fultam virtutibus, suscitauit, ornauit, roborauit. Felicia demùm loca, quæ hunc Magnum Gedeonem, fortissimè castra sua, contra vim tumultuantis inferni metantem, disponentem, & demùm cum his ipsis furijs certantem vidistis, visum accepistis, acceptum asseruastis, ita vt hunc nobis gloriosum redderetis. Felix tu imprimis Bohemia, quæ tàm lucidum astrum, terrarum noctibus produxisti. Felix Italia cui tu disciplinam religiosam, & ostia claustri aperuisti. Felix Hungaria, quem tu vicinis asseruasti, Apostolum honorasti docentem amasti, miraculis magnum notasti, vitâ sanctum approbasti. Fælix Polonia, quem tu extorrem è Patria Archiepiscopali mitrâ decorasti: á quo tu primùm culta, primum edocta, polita, coram gentibus robustissima bellatrix, & triumphatrix adoraris. Felix & tu Prussia, cuius cruore primum tincta nobilior fuisti, quam certè debuisti. Infelix tu Bohemia, cui toties illusisti, quem tu spreuisti, dimisisti: hunc vtinam non sine magna cæterarũ gentium inuidia coluisses. Felix es iterum Polonia, ad cuius tu sacros cineres, dum singultans illachrymaris, & amissum plangis Præsulem, ab Otthone III. quo quid sub sole orbis poterat illustrius videre? diademate & sceptro magnificè insignita, hunc primũ

repe-

peregrinum in Ecclesia Gnesnensi honorasti, & ad tumulum Sancti Praesulis salutasti. Homero quondam viro doctrinâ illustri, & verè sapienti, vt potirentur septem Graeciae vrbes famosissimae, aciem certaminis diducere non dubitarunt.

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Jos, Argos, Athenae.

Illum omnes ciuem suum esse fatentur, omnes eius natales ad se referri volunt, ex se lucem primam traxisse contendebant; quasi omnium illa sola vrbs antecelleret gloriam, quae tàm magnum, & clarum sapientiâ virum, è suis penatibus produxisset. Ne hic ita, pro Diuo Archipraesulis corpore septem certare videntur vrbes: at vniuersae fermè regiones, regna etiam opulentissima, & populosissimae Dynastiae. Nec iniuria certè. Omnibus enim in viuis fuit D. Praesul, vniuersis idem & post mortem. Ita laborauit Bohemia luxu, correxit hanc D. Praesul. Impugnabatur infidelitatis agmine Hungaria, protexit hanc D. Adalbertus. Mollescebat decliuis in vitia Polonia, restituit hanc rigori D. Archipraesul. Prussia caecutiebat, at tàm speciosos viri sancti virtutum conatus, perunxit hanc sanguine D. Martyr. Atq; habet Bohemia, cur suum dicat: habet Hungaria, cui suam subijciat gloriam, habet Polonia, quae suo adstipuletur Principi, & ei confecret victorias: habet Prussia, à quo sua repetat suffragia. Sed parcite mihi ô regna! nec tuus est Bohemia Adalbertus, qui pridem esse desijt tuus; imò tu tuum esse noluisti. Nec tuus est Hungaria, cuius tu quidem doctrinam seruasti; sed eheu ad luporum rictus, & vlulatus prostituisti. Nec tuus est Prussia, cui tu pro dignis laborum aris, & praemijs ferales, & sanguinolentas truculentissima iniecisti manus. Tuus hic est ô Florentissima POLONIA Princeps, Tuus Praesul est, tuus hic flos est, quem tu vlnis tuis excepisti, terrae tuae mandasti, inseruisti, coluisti. Tibi lucent illa sydera praestantissima, duo illae mundi totius gemmae Diuus ADALBERTVS & GAVDENTIVS: tibi vigilant Astricae illae stellae, excubantes tunc, quando fessa corpori membra reficienda tradideris. Vobis ô Magni Polorum, & Polonorum Proceres famulantur: pro vobis pugnant: cum vobis triumphant. Vos digna ista praemia, tã quam à Paride quondam adiudicata vni Dearũ formosissimae, per Iouem immissum aureum pomum, tali praenotatum lemmate:

Detur pulcherrimæ. concernunt, ac spectant. Tu vnica pulcherrima es pietate intaminata, iustitia florens, victoria celebris, maiestate amplissima, verbo dicam, centrum poli es, quo nomine â Carolo Magno, verè Magno Principe Romanorum insignita Polonia. Quodsi verò cæteris inuida hæc vox est, prouocent de indignitate eius, & agant partes suas fortius, Regna quæque nobilissima, & opulentissima. Triumphent sanè, de vbertate & fertilitate agrorum, aëris præstantia, virorũ doctrina, cultu ac pietate. Appellent subtiliora iudicia, tanquam pro se dimicatura, suisque partibus proxima. Quæ vult Pragensis omnia dicat, & Bohemus omnia sentiat, opponat, & diruat. minùs hæc ad nos, minùs ad gentis nostræ laudes, nihilum etiam discrimen iudicamus, censemus, experimur. Illud illud certè capitale est eorum iactationi, illud ne fastum Bohemiæ probrum, quod cùm glorientur de nobis erepto, nos certè de parto & asseruato S. Præsulis corpore gloriamur. Iactitet Praga furtiuas suas reliquias, si quas habet: ne hæc sola gloria felicior nobis Condemnata enim à viuis hominũ sententijs, & tot grauissimorum virorum testimonijs deuicta, non se ampliùs his accingit præsumptionibus. Glorietur illa de Ciue, & Episcopo, Prussia de Martyre. En tuus ô Polonia exercituum consolator, dubitas? cum eo triumphatura, accurre tandem præ hostium iaculis & cuspidibus. En inquam Rosarum flos & Princeps. Vereris? Euigila tandem ad odorem virtutum eius. Euigila in vere tuo florescentis gloriæ, solennia vota & suspiria concinne. Quid velint flores & acerra thuris plena, miraris? Cõpositum ius, fasque animi, sanctosque recessus. Quid dies festiua iubeat? quæris? Cinge comam viridi & iunge tempori ROSAS.

D I X I.

Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudes eorum nunciet Ecclesia. *Eccl. 45.*